

» Faventiam, et Sarsinam cum districtibus suis, castellis et oppi-
» dis illis adjacentibus ac alia oppida, arces et terras Forliviensis,
» Cesenatensis et Imolensis territorii nobis et Romanae ecclesiae
» restituerent, nihilque novi operis aut muniendi, aut reparandi
» praetextu, aut alio quovis colore in eis fabricarent, protestati
» fuimus: pro qua etiam restitutione facienda charissimus in Chri-
» sto filius noster Maximilianus tunc Romanorum rex tanquam
» sanctae Romanae ecclesiae advocatus per proprios et speciales
» oratores suos eosdem Venetos magna cum instantia tunc requi-
» sivit et interpellavit. Qui cum ad occupandum faciles, ad rela-
» xandum vero admodum difficiles existant, monitionibus nostris
» et regis praedicti requisitionibus satisfacere neglexerunt, dictas
» civitates et loca novis propugnaculis et armorum apparatus
» muniendo. Et insuper cum biennio jam elapso, Deo favente,
» cum maximis laboribus et apensis civitatem nostram Bononien-
» sem a tyrannide Bentivolorum liberavissemus, et contra eosdem
» Bentivolos eorumque complices et rebelles nostros, quoniam
» mala malis accumulando apertius in rebellionem adversus nos et
» Romanam ecclesiam in dies variis machinationibus se armabant,
» excommunicationis sententiam contra singulos ex eis recepto-
» resque eorum et interdicti contra universitates et loca ad quae
» eos declinare contingeret, per literas nostras protulissemus: ni-
» hilominus Antonius Galeatius, Annibal et Hermes Bentivoli, eo-
» rumque servitores et complices in terris ab ipsis Venetis deten-
» tis, videlicet Paduana Cremonensi et ad excitandam magis po-
» puli Bononiensis rebellionem in Faventia civitate Bononiae pro-
» pinqua, et Venetiis etiam recepti fuerunt et pro libito eorum ad
» dicta loca admittuntur in maximum nostrum et Romanae eccle-
» siae, et apostolicarum censurarum contemptum, ex quo dicto-
» rum rebelium nostrorum receptatores, et loca omnia praedicta
» excommunicationis in singulos et interdicti in Universitates et
» loca censuras juxta formam litterarum nostrarum praedictarum
» inciderunt, et pro talibus haberi et publicari debuissent, nobis